DE

GALENI HISTORIA PHILOSOPHA.

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QUAM

SUMMORUM IN PHILOSOPHIA HONORUM

AUCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN UNIUERSITATE FRIDERICIA GUILELMIA RHENANA

RITE OBTINENDORUM CAUSSA

UNA CUM SENTENTIIS CONTROUERSIS

DIE XXII MENSIS DECEMBRIS A. CIƆIƆCCCLXX HORA XI

IN PUBLICO DEFENDET SCRIPTOR

HERMANNUS DIELS

WISIBADENSIS.

ADUERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

GUSTAUUS SCHOLZ DR. PHIL.
CAROLUS ZICKENDRATH REG. PHILOL. SEM. SENIOR.
GEORGIUS KAIBEL REG. PHILOL. SEM. SOD. ORD.

BONNAE

FORMIS CAROLI GEORGI.

HERMANNO · USENERO

S.

Naturalium quaestionum a graecis philosophis agitatarum conlectionem continent tres praesertim libelli: quinque Pseudo-Plutarchi *περὶ τῶν ἀρεσκόντων τοῖς φιλοσόφοις φυσικῶν δογμάτων*, Galeni quae inscribitur *φιλόσοφος ἱστορία*, Stobaei quae inter eclogas physicas huius generis recepta sunt excerpta. Inter quas scriptiones cum dudum necessitudinem quandam intercedere nemo non animum aduertisset, tamen adcuratius nondum ea de re instituta erat disquisitio. Quare cum amplissimus noster philosophorum ordo a. h. s. LXIX tractandam hanc proposuerat quaestionem, ut pristini operis, unde riuuli illi deducti esse uiderentur reliquiis conlectis aetas origo historia inuestigarentur, non incommodum nos duximus in litterarium illud certamen descendere, unde cum insigni ordinis beneuolentia praemium nacti essemus, oblato iam officio edendi alicuius studiorum speciminis haesitauimus aliquantisper, quid potissimum ex illa tam ampla materia secerneremus, tandem quam commentationem de Galeni personati libro conscripseramus, eam elegimus, quippe quae facillime ex continuo disputandi conexu euelli posse uideretur. Simul spes erat, haud ingratam fore priorum capitum nouam editionem, quam speciminis caussa adieci, ut ueram corruptissimae memoriae imaginem repraesentarem, non tanquam emendasse omnia mihi uiderer.

Quo in negotio si cui ceteris paullo felicius rem gessisse uidebor, id totum sciat me Useneri debere comitati, qui Laurentiani codicis conlationem a C. Wachsmuthio olim ad

Kuehnianum exemplum confectam meo usui commisit. Praeterea Barocciani codicis accepi specimen, quod Robinsoni Ellisii doctissimi uiri rogatu Ingram Bynuter collegii Exoniensis apud Oxonienses socius humanissime mecum communicauit. Quibus uiris omnibus facere non possum quin gratiam habeam quam maximam.

PROLEGOMENA.

Paene omnes qui recentiore tempore de Plutarchi Galeni Stobaei inter se cognatione opinionem protulerunt excerpta esse haec tria scripta ex ampliore quodam opere arbitrati sunt, sed cum rem primoribus ut aiunt labris attingerent, de pristina huius operis forma aetate auctore certam non tulere sententiam praeter unum Meinckium, qui ante hos fere decem annos Didymum Arium Augusti aequalem amplius illud opus condidisse contendit [Muetzellii annal. XIII 563, adnot. ad Stob. ecl. p. CLV]: qua in re, quamuis fortasse sint quibus persuaserit, uehementer ille falsus est. Quod cum ilico perspiceremus, de integro nobis quaerendi negotium subeundum esse arbitratis aptissima haec scrutandi ratio uisa est, ut a critico ubique fundamento exorsi — uersatur nimirum totius quaestionis summa in trium codicum Plutarchi Galeni Stobaei tanquam archetypo indagando — prius de cuiusque scriptionis memoria, tum omnes quo cognationis uinculo coniungerentur, inquireremus. Itaque cum hac inuestigandi uia procederem, Galeni quidem librum, unde non raro duobus illis libris auxilium peti posse uiris doctis uidebatur, primum turpiter esse recentiore tempore interpolatum, deinde quae ibi de physicis philosophorum opinionibus traduntur, tantum

non omnia ex Plutarcho exscripta esse perspexi. Haec enim in initio statim disputationis contendere licet, ne quis longioris disquisitionis ambagibus turbetur aut distrahatur.

Itaque interpolatoris fraudem ut primum detegamus, placet totam editionum et interpretationum seriem perlustrare atque examinare. Ac primum quidem est editum hoc Pseudo-Galeni opus inter Aldinam Aristotelis editionem:

graece I Aristotelis opera Venetiis ab Aldo Manutio impressa tom. II. 1497. fol. 11ᵘ—30ᵘ.

graece II Γαληνοῦ Δ' Galeni librorum pars quarta Venetiis in aedibus Aldi et Andreae Asulani soceri mense Aug. 1525 part. III f. 18—35.

graece III Γαληνοῦ Δ' Galeni librorum pars quarta Basileae 1538, p. 424—438.

latine IV Operum Galeni tom. VIII edit. Froben. Basileae 1542 p. 5—48: 'C, Galeni liber de historia philosophica Iul. Martiano interprete.'

latine V Operum Galeni sectio octaua. Venetiis 1545 ex officina Farrea p. 5—64: 'Galeni liber de historia philosophica. Nunc denuo in latinum sermonem uersus.'

latine VI Galeni extra ordinem classicum libri in quibus breues etc. Venetiis apud Iuntas 1550 I p. III libros spurios continens p. 2—12: 'Galeni liber de historia philosophica Iul. Martiano interprete. Argumentum libri. Liber longe Plutarcho dignior quam Galeno.' in indice 'de historia philosophica liber olim a I. Martiano Rota latinitate donatus et nunc ab eodem recognitus.'

graece et latine VII Hippocratis Coi et Claudii Galeni Pergameni ἀρχιατρῶν opera Ren. Charterius graece et latine primum edidit Lutetiae Paris. 1679 tom. II p. 21—58.

itidem VIII Galeni opera ed. Kuehn. Lips. 1830 tom. XIX p. 222—345.

Haec octo deinceps editiones uersionesque omnes ex uno codice Florentino profectae sunt, quem hodieque tenemus. Nam Andreas Lacuna qui huius libri latinam uersionem Coloniae 1543 edidit, alium se adhibuisse codicem contendit, qua de re in supplemento agam. Codex autem ille, quem dixi, satis est uetus, qui adseruatur in bibliotheca Laurentiana pl. 74, 3 f. 171ᵇ, saec. XIII in. membranaceus, quem usque ad c. LV *περὶ ἡλίου* excussit C. Wachsmuth. Adcuratiorem nuperrime huius codicis, qui plurima Galeni scripta continet, notitiam protulit I. Marquardt Obseru. crit. in Galeni *περὶ ψυχῆς παθῶν καὶ ἁμαρτημάτων* p. 11. Alium praeterea codicem Baroccianum, quem Daremberg [not. et extr. médic. p. 17] notauerat, comiter Ingram Bynuter mea caussa inspexit. Est cod. Bar. 131, s. XIV bombycinus litteris minutis et compendiis plurimis a scriba imperitissimo exaratus. Laurentiani eum apographum esse ueri simile mihi, hoc certum est, proprii nil eum habere, lacunis autem et mendis ita esse foedatum, ut rationem eius haberi prorsus non opus sit, ut ex c. XXVIII [p. 38] cui speciminis caussa eius libri discrepantiam scripturae subiunxi, ipse iudicare poteris.

I. Ex Laurentiano igitur aut ipso aut ex apographo inde ad preli usum confecto editio princeps (I) ita expressa est, ut correctis leuioribus paucis erroribus, non nullis quoque praecipue compendiose scriptis uocibus omissis (quas distentis litteris distinxi) codicis scripturam fideliter teneret. Ita e. g. cum Laurentiani antiquarius [p. 30, 1] extremo uersu *νοσεῖ* alteroque incipiente perperam *νοσήμασι* scripsisset, illius oscitantiam princeps editor etiam superauit, dum continuo uersu *νοσεῖ νοσήμασι* exprimit.

II. Neque deinde editio II multum a prima distat, quippe quae maxime tantum conspicua menda neque ea omnia tollere ausa sit. Sed uel in hoc negotio parum circumspecte actum est, ita ut non nulla male correcta in omnes scilicet posteriores editiones transirent. Ita uolgo

legitur [p. 43, 12, p. 246 Kuehn.] τὴν μὲν γὰρ τοπικὴν μετάβασιν ὅταν τι ἀπὸ τόπου εἰς τόπον ἕτερον φαίνηται μεταβαῖνον κτλ. Sic iam II exhibet, sed uerum seruauit Laurentianus εἶναι γὰρ τὴν μὲν κτλ. quae male propterea correcta sunt quia princeps typotheta compendio male intellecto εἰ pro εἶναι ediderat. Granius etiam in capitis XXVI [p. 250 K.] ex Plutarchi plac. phil. I 7 expressi initio peccatum est. Plutarchi enim haec sunt uerba ἔνιοι τῶν φιλοσόφων καθάπερ Διαγόρας ὁ Μήλιος καὶ Θεόδωρος ὁ Κυρηναῖος καὶ Εὐήμερος ὁ Τεγεάτης καθόλου φασὶ μὴ εἶναι θεούς. Unde Laurentianus haec excerpta exhibet τοὺς μὲν τῶν προτέρων [scr. πρότερον] φιλοσοφησάντων εὕροιμεν ἂν [εὕροι superscripto μ cod., addidi ἂν: uolgo εὑρήκαμεν] θεοὺς ἠγνοηκότας ὡς περιαγόραν τὸν ἥλιον καὶ Θεόδωρον τὸν Κυρηναῖον καὶ Εὐήμερον τὸν Τεγεάτην. quae uerba ita corrupta sunt ut περ ab ὥσπερ diuisum cum insequenti uoce coalesceret, pro Δ quod est δια scriberetur Α, μ uocis μήλιον fortasse quia ν antecedebat, omitteretur. Sed uide quid editiones inde effinxerint. Princeps enim haec dedit τοὺς μὲν τῶν προτέρων φιλοσοφησάντων εὕρημα θεοὺς ἠγνοηκότας ὡς περιαγόραν τὸν ἡλεῖον καὶ Θεόδωρον κτἑ. Eadem fere II expressit, nisi quod male docta Πρωταγόραν τὸν ἡλεῖον dixit, quae quidem interpolatio ab omnibus deinceps editionibus propagata est.

III. Tertia dein editio Basileensis (III) plane expressa est ex II. Plura sane rursus correcta sunt menda, Plutarchique discrepantia adeoque pleniores inde loci ad marginem adiecti sunt, quemadmodum Ioach. Camerarius huic operi praefatus indicauit, dum 'in uno autem, inquit, et altero libello τῶν νόθων scriptis adiuti sumus eiusdem argumenti aliorum ut in Dogmatis et Astrologicis.'

IV. Ad illud igitur usque tempus (1538) lacero sane et prae Plutarcho misero isto Galeno adquiescebant uiri litterati. Iam uero ingeniosus aliquis homo I. Martianus Rota medicus Venetus, cuius complures extant in Frobeni

editione Galeni uersiones, cum tristis eum illius libelli condicionis misereret, ipse Galenum — ut mos erat illius aetatis — refingere ausus partim de suo, quoniam doctissimus erat uir, partim ex Plutarcho quem Camerarius in Basileensi digito monstrarat, elegantiorem sane neque tot lacunis deformatam edidit uersionem, quae prodiit 1542 (IV a me insignita).

V. Quae restitutio cum placuisset, tribus annis post nescio quis qui ad officinae Farreae usum Galeni hunc libellum uertit Martiani opus ille secutus, politiorem etiam edidit interpretationem, quae nisi uocum discrepantia orationisque flore a Martiani Rotae uersione omnino non distat. Ita factum est, ut e. g. c. XXVIII, ubi Galenus quinque ἀναποδείκτους rectissime enumerauerat, et Martianus et Farreae interpres nescio quo consilio ducti duo adderent.

VI. Ipse denique Rota anno 1550 ad Iuntarum nouam Galeni editionem uersionem suam 1542 conditam (IV) recognouit (VI), quam nusquam fere cum priore dissentire inueni.

VII. Saeculo uero post Charterius cum magnum pararet Hippocratis et Galeni corpus eiusque tomo alteri historiam philosopham inserturus editiones graecas prae Martiani uersione innumeris lacunis et mendis scatentes conspiceret, ad illius uersionis imaginem graecum instaurauit contextum, qui quamuis emendatior multis locis et copiosior sit, tamen graue interpolationis meret crimen omnesque deinceps uiros doctos de uera libelli condicione fefellit.

VIII. Nam ne Kuehnius quidem quamuis Basileensis paginas suae editioni adscriberet, quidquam de ueterum exemplorum discrepantia suspicatus est, sed purum putum Charterium ne correctis quidem leuissimis preli erroribus typothetae exprimendum tradidit.

Nec tamen nimium illi suscensebimus. Etenim quoniam prioribus editionibus Martiani Rotae uersio Charteriique editio plenior adparet, primo quemque obtutu consen-

taneum est de copiosiore, quo usi sint et Rota et Charterius, codice cogitare, cum praesertim cod. Laur. manifesta prae se ferat mutilationis signa. Nihilo tamen setius neutrum pleniorem triuisse codicem, imo ne Laurentianum quidem inspexisse facile potest commonstrari.

Nam primum Charterium Martiani, opinor, similiue exemplo usum esse, quia multis locis qui aucti sunt ambo congruunt, summo opere necesse esset. At tum non integrum uterque exhibuisset codicem, sed quae sibi uiderentur elegisset — quae tamen sententia per se minime est probabilis —, cum singulis locis et Charterius Martiano et hic illo copiosiora ediderit. Ita Martianus p. 44, 7 *ἕτεροι τὸ τριχῇ διαστατὸν κτέ.* quod exhibent I—III VII VIII sic uertit 'mathematici corpus' etc. Quin idem huic capiti totam sententiam addit: 'Platon molem esse corpus adseruit quae et locum occupat et intra se molem aliam non admittit, neque enim duo corpora unum locum simul obtinere posse.' In Charterii iterum graeca lectione huius additamenti nec uola nec uestigium apparet. Quid quod [p. 250 K. *πῶς συνέστηκεν ὁ κόσμος*] integrum paene caput [Plut. I 4] additum est in Martiani Rotae uersione, quod si in codice fuisset communi, cur Charterius omitteret, nulla erat caussa. Ipse tamen Charterius quoque paucis locis pluscula edidit, ueluti uersus p. 274 K. e Plutarcho II 19 adiunxit. Semel Stoaeum adeo exhibuit [p. 248 K. ubi ideae notioni additur *αἰτία τῶν οἷά ἐστιν αὐτὴ καὶ παράδειγμα τῶν κατὰ φύσιν ἐχόντων αἰσθητῶν ὑποστάσεων*], quo scriptore Rota uti nondum potuit, cum eclogae anno 1575 primum editae sint.

Cum igitur codice communi utrumque non usum esse adpareat, additamenta ex Plutarcho Stobaeoue aut ex ipsorum cerebello petita sunt, id quod eo egregie confirmatur, quod cum uariare orationem soleat Galenus in eis quibus cum Plutarcho consentit, Charterii additamenta ad uerbum fere cum uolgaribus Plutarchi exemplis consentiunt.

Uerum ne ipsum quidem Charterium simulasse codicem integriorem mihi persuasi. Nam quamuis ipsius ea de re ambigua sint uerba tom. II p. 400 'contextus graecus huius libri Basileae ac Venetiis editus multis lacunis ac mendis scatebat ut ex Martiani Rotae sapientiss. interpretatione docta ac copiosiore colligitur, qui nunc a nobis emendatior ac locupletior, huicque consona datur interpretatio,' pluribus tamen locis ubi Martianum secutus graeca uerba addidit, latina quae respondent inclinato litterarum genere exprimit (quibus locis Kuehnianus quoque typotheta litteras inclinauit). Ita cum p. 229, 16 K. [p. 31, 18 nostrae edit.] in graecis addita sint *καὶ ἡ κατὰ Πυθαγόραν ἡ δὲ ἐκ τῆς πατρίδος ὥσπερ ἡ ἐρετρικὴ ἥ τε Μεγαρική*, sic ea latine inprimenda curauit '*et Pythagorica quae a Pythagora, partim ab auctorum patria ut Eretrica Megarica*' etc. quae primus Martianus (IV) addiderat. Similiter p. 311 K., postquam ex Plutarcho IV 19 paragraphos 3—7 in Galeno omissas suppleuit, addita uncinis quadratis inclusit. Sed uereor ne multus fiam in re apertissima. Exploratum enim iam habeo Laurentianum unicum genuinumque Pseudo-Galeni editionum fontem, interpolataque esse omnia, quae a Martiano Charterio Kuehnio edita sunt exempla. Quae cum ita sint, omnis altior de scriptione ista scrutatio proficisci debet a codicis Laurentiani contextu, quo nisi nostram condidimus editionem.

Praefixa est libello, qui falso nomine illic inscribitur *Γαληνοῦ φιλόσοφος ἱστορία*, breuis de instituto consilioque praefatio, in qua philosophiae tripartita distributione adumbrata modestissimum se gerit scriptor, qui nihil cum ipse inuenerit, breuiter atque enucleate alii quae senserint se prolaturum esse confitetur [I 2 p. 28, 10]. Tum *προπαρασκευὴν* aliquam subnectit, qua primum uolgarem illum successionis catalogum profert [c. I 3 p. 29, 7 sqq.], qualis a

διαδοχῶν scriptoribus compositus magis minusue uariatus saepius repetitur ut a Laertio [I 13] et Clemente [Strom. I 14]. Deinde philosophorum sectis singulis unde sit cuique nomen inditum plane eodem modo exponit [c. I 4 p. 32, 10] quo Laertius [I 17] Hippolytus [Refutat. I 20 p. 20 ed. Gott.] Aristotelisque commentatores Ammon. in Ar. categ. [p. 3 ed. Ald. 1503] Simpl. in Categ. [Ar. quat. *Αγ*] alii in Brandisii sylloge [p. 22ᵇ 19 sqq. et 34ᵇ 23 sqq.] rem illam explicauerunt, ita ut haec inter necessaria philosophiae elementa habita esse uideantur.

Iam nouo capite II [§ 1 p. 33, 4—9] quamuis logica praecepta tradendi initium sumere uideatur, tamen prius de philosophiae uniuersalis natura ac ui [§ 2 p. 33, 10—21], tum de philosophiae partitione [§ 3 p. 33, 22], deinde tertio capite [p. 34, 16] de sectis nobilissimis, et quarto [p. 35, 21] de philosophiae principio disserit, donec ad ipsius logices praecepta tradenda se accingit, nonnullasque dialecticorum notiones septem capitibus V, VI, VII, VIII, IX, X, XXVIII exponit, quas paene omnes ex Sexto Empirico petitas interdum amplificatas [c. X], plerumque breuiatas esse facile mecum perspiciet, cui aliquod horum capitum, uelut c. VIII *περὶ κριτηρίου* cum illo conlatum exhibebo:

Sext. Empir. Pyrr. hyp. II 14. *ἐκεῖνο προειπόντες ὅτι κριτήριον μὲν λέγεται τό τε ᾧ κρίνεσθαί φασιν ὕπαρξιν καὶ ἀνυπαρξίαν καὶ τὸ ᾧ προσέχοντες βιοῦμεν κτλ.* 15. *τὸ κριτήριον τοίνυν περὶ οὗ ὁ λόγος ἐστὶν λέγεται τριχῶς, κοινῶς ἰδίως ἰδιαίτατα.*	Galeni c. VIII p. 37, 6 sqq. (*κριτήριόν ἐστι πράγματος διαγνωστικὴ κατανόησις*) *κριτήριον δέ ἐστι διττόν, τό τε ᾧ χρώμενοι βιοῦμεν καὶ τὸ περὶ ὑπάρξεως καὶ ἀνυπαρξίας. λέγεται δὲ τὸ κριτήριον τριχῶς, κοινῶς ἰδίως ἰδιαίτατα.*

Eodem fere modo etiam c. V, VII, IX, X, XXVIII quae logica sunt ex Pyrroneis lineamentis compilata sunt.

Iam uero codicis ordinem si sequimur, qui caput X περὶ διαιρέσεως ante c. XI περὶ φύσεως exhibet, logicis abiectis subito in physiologiam alteram philosophiae partem inruimus, id quod in compilatore praefandi amantissimo nos offendit. Sed cum uiderimus c. XXVIII [quod p. 38, sqq. expressi] ex logicorum praeceptorum serie motum esse, praecedentis in codice capitis XXVII [quod p. 39, sqq. edidi] quin pristinus locus fuerit inter logices postremum caput, hoc est c. XXVIII περὶ ἀποδεικτικῆς, atque physiologiae primum c. XI περὶ φύσεως, nemo dubitare debet, qui illius initium perlegerit: 'ὅσα μὲν εἰκὸς ἦν, inquit p. 39, 10 sqq., περὶ τῶν συντελούντων εἰς τὸ λογικὸν μέρος τῆς φιλοσοφίας εἰπεῖν, ἑτέρωθι διῆλθον διὰ πλειόνων, ἡμεῖς δὲ συντομώτατα περὶ τούτων διαλεχθέντες νῦν μετίωμεν ἐπὶ τὰ φυσικώτερα. Ecce ipsius scriptoris de pristino ordine uerba, quae monent, ut quoniam patefacta est uno loco ordinis turbatio, de ceterorum quoque capitum conlocatione adcuratius quaeramus. Quae disquisitio, cum prius de reliquae libri partis fontibus exposuerimus, acriter erit suscipienda.

Enumerantur igitur in traiecto illo capite XXVII primum [p. 39, 10—41, 1 2] physicorum de deo, efficiente caussa, opiniones, quas unde corraserit, indagare mihi non contigit. Quae uero deinceps sequitur sententiarum de materiali caussa recensio [p. 41, 13—42, 11] plane sublata est ex Sexto [Pyrr. hypot. III 30—32 cfr. adu. math. IX 360] eodem modo, quo de ἀρχῆς καὶ αἰτίας discrimine quae ibidem § 3 proferuntur ex Sexto [ibid. 14 p. 122, 16—123, 4 Bekk.] petita sunt. Hoc igitur physiologiae exordium si suo loco reddidimus, commode excipitur capite XI [p. 43, 1—7] περὶ φύσεως, quod ex Plutarchi plac. phil. I 30 [hinc Anaxagorae dictum] eiusque I 1. 2 concinnatum est. Item c. XII [p. 43, 8—19] ex Plut. I, 2 sumptum est.

Iam uero Sextum rursus excerpendum sibi proposuit caputque XIII [p. 43, 19 sqq.] ex Sexti Pyrr. hyp. [III 64 sqq.]

amplificat, corporis definitionem c. XIV [p. 44, 5 sqq.] ex eiusdem Pyrr. hyp. III 38 excerpit.

Sequitur longius de anima caput [XV p. 44, 12 sqq.] quod unde furatus sit personatus ille Galenus alii rimentur. Nos interim cetera aspiciamus, quae a capite XVI inde omnia deinceps ex Plutarchi quinque de physicis philosophorum opinionibus libris excerpta esse supra contendi.

Uersamur enim iam in totius quaestionis tanquam cardine, cum de Galeni in physicis illis capitibus [c. XVI—CXXVI] fonte agatur. Enimuero omnes fere, qui de ea re scripserunt, illas sententias eum ex pristino eodem opere hausisse arbitrantur, unde Stobaeum et Plutarchum constat, nos eum ex Plutarcho solo repetinisse asseueramus. Atque tantum quidem priore memet disputatione adsecutum esse confido, ad R. quidem Volckmanni hariolationes [Plutarchi uit. I p. 158 sqq.] ut nemo recidat, qui uir doctissimus Meinekium temere secutus ex Pseudo-Galeni miserrimis praefatiunculis (uelut c. I 2 et XXVII 1) ampli illius Didymi ut illi placet operis consilium atque institutum extricasse sibi uisus est, quae sententia cum per se uix digna sit quae prolixius rederguatur, tum eis quae iam disputabo, funditus conuelletur.

Itaque Sextum Empiricum quem circa exiens alterum p. Chr. saeculum uixisse arbitrantur, cum compilatum esse uiderimus a pseudepigrapho illo quisquis fuit scriptore, per se nimirum nil impedit, quin aut pristinum opus, quod nouissimo ante Christum saeculo conditum esse credo, aut Plutarcheum libellum, quem altero p. Chr. saeculo concinnatum esse satis certis indiciis comprobari potest, compilasse eum existimemus. Sed adsunt argumenta, quibus ut posteriorem nostram sententiam tueamur, non modo admoneamur, sed cogamur. Quid enim? fierine ullo modo potest, ut duo si idem illud multo amplius corpus compilant, in eligendis singulis capitulis sententiisque eadem semper adripiant

eadem omittant? An potius illud accidit, quod aiunt 'duo si faciunt idem, non est idem'?

Qua in re locupletem tenemus testem, Stobaeum dico, qui cum plerumque utroque et Galeno et Plutarcho amplior sit, litis arbiter accedat. Itaque e. g. proponam primum ex Stobaeo [ecl. phys. I 2, 29] philosophorum, qui de deo sententias tulerunt nomina: Thales Anaximander Anaximenes Archelaus Anaxagoras Democritus Diogenes Pythagoras Posidonius Speusippus Critolaus et Diodorus Heraclitus Zeno Mnesarchus Boethus Parmenides Melissus et Zeno Polemo Xenocrates Plato Aristoteles Stoici Epicurus. Ecce haud paruam nominum seriem atque in qua describenda uariare licebat! Sed quasi diuinitus instincti et Plutarchus et Galenus eosdem sibi elegerunt philosophos. Ab illo enim [plac. phil. I 7, 11] enumerantur: Thales Anaximander Democritus Pythagoras Socrates et Plato Aristoteles Stoici Epicurus, ab hoc eisdem ferme uerbis [p. 251, 4 K.]: Thales Anaximander Democritus Pythagoras Plato [Socratis breuis mentio casu omissa esse uidetur] Aristoteles Stoici Epicurus. Idem identidem factum cognosces, si multa illa capita, quae inde a c. XVI ad Plutarchum retuli Stobaeo adlato examinaueris. Igitur luce clarius est ex Plutarcho excerpta esse haec omnia, id quod mihi quidem luculenter inde confirmatur, quod capita quaedam quae in Plutarchea demum epitoma pristino illi operi inserta esse existimo, eadem a Galeno transscripta sunt. Sunt autem ea capita Plutarchi I 4, I 6, I 7 § 1—11, [III 15], IV 1 [IV 11, IV 12, IV 21], sed id enucleatius alio loco demonstrabo.

Illud tamen praeuerto, quod fortasse aliquis mihi obiciet, inesse in capitibus illis e Plutarcho exscriptis quaedam, quae nostris quidem in Plutarchi exemplis non legantur. Id quod ut recte obseruatum est, ita facillime explicari potest.

Nam primum si quis mihi meliores nonnullas obtendit Galeni lectiones, hoc moneo, circumlata esse iam antiquo tempore Plutarchi de placitis exempla prauissime descripta,

unde et nostrorum codicum archetypus et Eusebii excerpta propagata sunt, contra eodem fere tempore extitisse castigatiora quoque quaedam exempla, quali et Cyrillus est usus et pseudepigraphus noster Galenus.

Quare hic ad librariorum non pauca menda interpolatorumque emblemata tollenda perutilis est, ut conclamatus ille locus et a Plutarchi librario misere interpolatus V, 20 in. Galeni et Stobaei auxilio est restituendus. Idem ualet ni fallor in c. CXIX p. 338 K., ubi Galeni uerba extrema integriora uidentur. Neque quidquam impedit, quin grauiora quoque additamenta, quae in Plutarcho desunt, ex copiosiore eius codice, qui Galeno ante oculos fuerit, repetenda esse censeas. Sic explico, quod p. 336 K. c. CXX Galenus Aristotelis nomen seruarit, Plutarchus omittat, quippe quod misera interpolatione haud scio an ex Aristotelis corrupto nomine orta *ἀτελῆ δέ ἐστι καὶ ἄωρα καὶ ἄκαρπα ὄντα. τέλειος οὖν ιότε ἄνθρωπος* interciderit, dum sententia ipsa extet: *περὶ δὲ τὴν δευτέραν* [Gal. *α'*] *ἑβδομάδα ἔννοια γίνεται καλοῦ τε καὶ κακοῦ καὶ τῆς διδασκαλίας αὐτῶν* [Galen. *ἀρχή*]. Mirum igitur non est in loco tam lacero ultimam quam Galenus praebet sententiam intercidisse *ἕτεροι δὲ νομίζουσιν τελειοῦσθαι ἡμᾶς τῇ τρίτῃ ἑβδομάδι, ὅταν καὶ γένεια ἔχωμεν καὶ τῇ ἰσχύι χριώμεθα.*

Difficilior explicatu est alter Galeni locus c. LVI p. 276 K. *Ἡράκλειτος ἄναμμα ἐν μὲν ταῖς ἀνατολαῖς τὴν ἔξαψιν ἔχον, τὴν δὲ σβέσιν ἐν ταῖς δυσμαῖς.* Quae sententia cum Plut. II 20 desit, in Stobaeo non prorsus similis inuenitur, cuius haec respondent uerba [ecl. phys. c. 25 p. 526] *Ἡράκλειτος καὶ Ἑκαταῖος ἄναμμα νοερὸν τὸ ἐκ θαλάττης εἶναι τὸν ἥλιον.* Nam haec sola uerba ad caput *περὶ οὐσίας ἡλίου* pertinent; Stobaeus enim ut solet quinque apud Plutarchum diuisa capita [II 20—24] ita comprehendit, ut in illo capitulo *ἄναμμα — ἥλιον* ad *οὐσίαν, σκαφοειδῆ — ὑπόκυρτον* [Plut. II 22] ad *σχῆμα, γίγνεσθαι — ὄψιν* [Plut. II 24, 2] ad *ἔκλειψιν, τὸ δὲ μέγεθος — ἀνθρωπείου* [Plut.

II 21] ad *μέγεθος* referenda sint. Quare si in Plutarcho integro infuisse haec sumamus, uerba *ἐν μὲν — δυσμαῖς* quibus Galenus abundat, omissa esse a Stobaeo existimabimus. Eadem deinde ratio uidetur cadere in c. CXVI ubi extrema sententia Democriti in Plutarcho [V 19] non inuenitur, sed probari Stobaeo deficiente nihil potest. Platonis sententia [p. 297 K.] quae a Plutarcho [III 15] et Stobaeo [ecl. phys. c. 32] discrepat ita enodanda uidetur, ut aut lacunam statuamus in Galeni libro aut ipsum compilatorem a Platone (*τόπους δὲ αὐτῆς — σαλεύεσθαι*) ad Epicuri insequentis similiter finitam opinionem aberrauisse existimemus. Aliter denique uidetur additamentum explicandum esse, quod Galeni c. LXI p. 280 K. [Plut. II 27] adiectum est *σχηματίζεται δὲ ἡ σελήνη ἑπταχῶς — εἰς τὸ κοῖλον τῆς γῆς*. Nam generalius est, neque quid ei cum physicarum opinionum enumeratione rationis intercedat uideo. Traditur autem triuialis haec sapientia etiam in indigesta illa Achillis Tatii congerie, quae *εἰσαγωγὴ εἰς τὰ Ἀράτου φαινόμενα περὶ τοῦ παντός* inscribitur. Ubi [Uranol. Petau. p. 141 C.] haec traduntur: *ἀνατέλλει δὲ οὐχ ὅλον τὸ φῶς ἔχουσα περιφερὲς ἀλλὰ* μ η ν ο ε ι δ ή ς. *μέχρι δὲ τοῦ ἡμίσεος αὐξηθεῖσα γίνεται* δ ι χ ό τ ο μ ο ς. *ἐὰν δὲ τὸ δίμοιρον περιφωτισθῇ, καλεῖται* ἀ μ φ ί κ υ ρ τ ο ς. *πληρωθεῖσα δὲ γίνεται* π λ η ρ ο σ έ λ η ν ο ς *καὶ πανσέληνος καὶ διχόμηνις (πεντεκαιδεκαταία γάρ ἐστι πληρωθεῖσα, ὅ ἐστιν ἥμισυ μηνὸς διχαζομένων τῶν λ' ἡμερῶν) καὶ πάλιν αὖ ἀπὸ τῆς πανσελήνου ἄρχεται μειοῦσθαι καὶ γίνεται πρῶτον* ἀ μ φ ί κ υ ρ τ ο ς, *εἶτα* δ ι χ ό τ ο μ ο ς [ego, *διχόμηνις* perperam uolgo], *εἶτα* μ η ν ο ε ι δ ή ς.

Omnino autem caueamus ne Galenum scriptorem quem ubique sibi compilandum elegerit, adcurate semper expressisse arbitremur. Immo si aliena conpilat, suas ubique inmiscet sententias atque sicubi ei uidetur, auget uariat, undique conlectam sapientiam inculcat. Id quod ut multis locis Sexto Empirico et Plutarcho adlato comprobari potest, ita ipse toti scriptioni praefatus probe significauit [p. 2, 6]

ἁπλουστέρως δὲ ὅσα παρὰ τῶν πεπαιδευκότων ἡμᾶς ἀκηκόαμεν [dicit igitur scholarum, quas audiuerat, commentarios] καὶ δι' ἀναγνωσμάτων ἐμάθομεν [ueluti ex Sexto et Plutarcho] συνάγειν ἐπεχειρήσαμεν κτλ.

Absoluta autem iam quam instituimus de fontibus quaestione, regredi liceat ad eam, quam supra reliquimus de capitum ordine disputationem. Obseruari enim licet in illa libri parte, quam totam e Plutarcho exscriptam esse modo diximus [c. XVI—CXXVI], quam adcurate compilati libri ille ordinem retinuerit, ita ut quamuis multa capita omiserit, nullum tamen inde a c. XXX peruerso ordine descripserit. Quare cum in priore libri parte ipsius compilatoris uerbis [cfr. supra p. 11] moniti simus, acrius de priorum capitum genuina conlocatione erit disputandum. Atque in primo statim capite maximae adparent turbae. Philosophorum enim index media paragrapho tertia prorsus ordine caret. Nam Ionicae philosophiae successio dum recte ad Megaricos usque producitur, iam hiare series uidetur prorsusque aliena inculcantur. Quid enim, obsecro, Anaxarcho Democriteo [p. 31, 6] cum Megaricis? quid porro sibi uolt praecedens illa ἀσυνδέτως adiuncta sententia Φαίδωνα τὸν Ἠλεῖον οὐδεὶς ἠγνόησε τῶν Σωκρατικῶν εἰς πρώτους ἥκειν ὑπειλημμένον? Exspectamus certe adcuratiora illis de Phaedone. Nimirum truncatus est hic Galeni locus quem librarius aliunde petitis explere conatus est. Iam enim infertur rursus genuina successio Platonicorum, inter quos Aristoteles Theophrastus Strato recte se excipiunt. At iterum offendimus. Quid enim Epicurus iam inter Ionicos? Laertius quidem et Clemens aptissime Democriteum illum Italicis tribuunt, ex quorum castris duos iam tenemus profugos. Iam uero ipsos Italicos adgrediamur. Traduntur enim p. 31, 17 haec: εἰσὶ δὲ τῶν γεννικωτέρων φιλοσόφων ἴνδικες [cod. εἴνδικες] δύο,

τινὲς μὲν Ἰταλιῶται, ὧν Πυθαγόρας εὑρετὴς γεγένηται καὶ ὁ κατὰ τὴν Ἐλαίαν ἀκμάσας. ταύτης δὲ λέγεται κατάρξαι Ξενοφάνης κτλ. quae uerba maximum mouent scrupulum. Expectatur enim, cum Ionica series antecesserit, aut Italorum generalior successio, qualem Laertius proponit, aut bipartita Pythagorica atque Eleatica, qualem Clemens exhibet successionem [Strom. I 14]. Nihil uero horum praeter miram illam, quam modo commemorauimus sententiam eamque omni ex parte suspectam. Primum enim si Xenophanei [ὁ κατὰ Ἐλαίαν ἀκμάσας] et Pythagorei discernuntur, tres omnino sunt, non duo, ut ille dicit, indices. Deinde quae tandem haec est oratio? Audiuimus sane in relicuis libri partibus hominem non eum quidem eleganter, sed tamen graece loquentem. Iam nobis proponitur illud infimam Byzantinorum aetatem redolens ἴνδικες! Accedit admodum puerilis sententiae forma: Ἰταλιῶται ὧν Πυθαγόρ. εὑρετής, quibus ὁ κατὰ Ἐλαίαν ἀκμάσας scil. Ξενοφάνης opponitur] Sed haec minora sunt. Grauissima nimirum offendendi ansa in sententiarum conexu posita est. Quo enim referendum est ταύτης quod insequitur? Quid plura? Intercidit scilicet primum Eleaticae philosophiae mentio, quo ταύτης pertinet, intercidit deinde tota Pythagoreorum successio [1] atque in tantum hiatum inferta est audaculi Byzantini misera interpolatio. Iam denique cum mutilati huius loci natura perspecta sit, unde Anaxarchi Epicurique ad Ionicos traiecta sit mentio, in propatulo est. Sequebantur enim in integro libro post Protagoram, qui nunc capitis primi extremus est. Id quod ut sponte sua unumquemque comprobaturum esse spero, ita commode accedit Clementis locus [l. l. p. 353 P.], qui Eleaticam successionem hoce modo claudit . . . . Δημοκρίτου δὲ ἀκουσταὶ Πρωταγόρας ὁ Ἀβδηρίτης καὶ Μητρόδωρος ὁ Χῖος, οὗ Διογένης ὁ Σμυρναῖος, οὗ Ἀνάξαρχος,

1 Pythagoreosne et Eleaticos discreuerit Galenus, an utrosque Italicis subiunxerit, non iam diiudicari potest, sed praestare uidetur propter ταύτης — κατάρξαι Ξενοφάνης prior sententia.

τούτου δὲ Πύρρων, οὗ Ναυσιφάνης. τούτου φασὶν ἔνιοι μαθητὴν Ἐπίκουρον γενέσθαι. Grauiores hae sunt primi capitis et apertae turbae, sed restant aliae nec minus leuiores, quas hic simul indicare liceat. Nam argumentum totius libri proponitur I, 2 p. 29, 2 *ἵνα ἐξ ἅπαντων ἔχῃ τις γιγνώσκειν, πόθεν τε φιλοσοφία πρῶτον μὲν εἰς τοὺς Ἕλληνας παρελήλυθε καὶ τίνες οἱ ταύτην εἰσαγαγόντες καὶ τοὺς δοκοῦντας κατὰ τὴν παιδείαν διενηνοχέναι τῶν ἐπὶ ταῦτα τετραμμένων.* Atque primum nouissimum enuntiatum plucet non concinne ad priora adnexum esse, neque id ipsum, quod requiritur, illo exprimi uidetur. Nam cum *ἀρχηγέται φιλοσοφίας* perbene significentur illo *οἱ ταύτην εἰσαγαγόντες*, expectatur discipulorum successionumque mentio. Sed prima quoque sententia mira est, nam *πόθεν φιλοσοφία πρῶτον μὲν εἰς τοὺς Ἕλληνας παρελήλυθε* [scilicet a barbaris cf. Laert. I 1] ea quaestio in insequentibus iam omnino non tractatur, quamuis illud [p. 29, 8] *τὸν φιλόσοφον τρόπον εἰς τοὺς Ἴωνας εἰσηγμένος Θαλῆς ὁ Μιλήσιος* necessario illam praecessisse significet. Accedit, quod in argumento illo earum rerum, quae postea inde ab I, 4 exponuntur, nulla habetur ratio, ita ut undique, lacunam ut statuas, cogaris. Atque in hanc lacunam interpolatio illa intrusa est *καὶ τοὺς δοκοῦντας κτλ.* quae etiam latius patet, nam in insequenti enuntiato §. 3 p. 29, 7 iterum duplex adparet sententia: nam uerba *ἔστι τοίνυν ὁ πρῶτος ὑπὸ τῶν πλείστων ὑπειλημμένος* nullo modo, ne grammatica quidem ratione cœunt cum illo, quod sequitur, *τὸν φιλόσοφον τρόπον εἰς τοὺς Ἴωνας εἰσηγμένος Θαλῆς.* Igitur rursus adparet interpolatoris emblema *πρῶτος ὑπὸ τῶν πλείστων ὑπειλημμένος.* Eiusdem denique interpolationis exempla breuiter haec adnoto p. 27, 11—17 et 30, 12 *ἴσος ἦν*, 28, 15. 29, 18.

Secuntur iam [§ 4] iusto, ut uidetur, loco sectarum uaria nomina, tum c. II logicae partis expositio quae nullo pacto hic sequi potest. Nam totius philosophiae partitio prius exponatur necesse est, quam singulae partes tractentur

[cfr. Sext. Pyrr. hyp. II 13] Ergo c. II prima paragraphus **interpolata** est, id quod aliunde quoque cognoscitur. Restat **philosophiae** generalis definitio §. 2 [p. 33, 10] quae num **transponenda** sit, dubium est.

Iam tertio capite [p. 34, 16] sectae definitio exponitur, quae ad c. I, 4 [p. 32, 10 sqq.] optime potest referri. **Caput** quartum denique *τίς ἀρχὴ φιλοσοφίας* inter generaliora referendum est, ita ut fortasse coniunctum cum II, 2 **huius** capitis tertiae paragrapho [*μέρη τῆς φιλοσοφίας*] antecesserit.

Iam uero noua incipit capitum e Sexto petitorum series, quae ad logica pertinent. Logices autem hae notiones, cum natura tam stabilem ordinis modum non habeant, fortasse eo, quo nunc leguntur ordine adiuncto solo c. XXVIII legebantur, sed multo tamen mihi ueri similius uidetur, Sexti quem excerpsit ordinem ratione constitutum seruasse Galenum, quemadmodum in maxima parte e Plutarcho petita huius dispositionem secutus est. Quocirca ad Sexti exemplar logica sic ordinauerim capita c. VIII *περὶ κριτηρίου*, IX *περὶ ἀληθοῦς*, V *περὶ σημείου*, XXVIII *περὶ ἀποδεικτικῆς*, VI *περὶ συλλογισμοῦ*, VII *περὶ ὅρου*, X *περὶ διαιρέσεως*. Logicis iam praeceptis relictis ad physica transitur, quorum primum caput XXVIII traiectum esse iam Martianus Rota senserat atque ego supra demonstraui. Atque cum de ceteris transpositionibus turbisque interiora tantum suppetant indicia, hoc loco ut ordinem mutemus, ipse scriptor nos monet [cfr. p. 11] Traiecta autem haec capita XXVIII et XXVII nisi ui extrinsecus inlata sedem pristinam migrare non potuerunt. Ergo in integro codice eadem plagula conprehensa fuisse uidentur, quae ex compagine soluta et inuersa falso loco inserta est. Quod cum satis manifestum esset, fore ut pristinus quaternionum ordo restitueretur, sperare licebat, sed tota prioris libri partis condicio lacunis et turbis, ut modo probaui, tam lacera atque misera est, firmo ut fundamento, quo niti possis, careas.

In physicis deinceps capitibus maxime Plutarchi ordinem sequitur, sed cum initio aliorum quoque frusta inseruerit, ut c. XIII et XIV ex Sexto atque c. XV, dubitari potest, num certum aliquod hac in parte sequatur consilium, praesertim cum Plutarchus ipse primi libri capita nullo fere consilio disposuerit. Illud tamen memoria dignum est, quod cum c. XIV *περὶ σωμάτων* e Sexto excerpsisset, tamquam oppositam subiunxit expositionem de anima c. XV quapropter Plutarchi illa capita [IV 2—7] post omisit. De his igitur naturalibus capitulis certam ferre sententiam nolo, dubito tamen c. XXIII—XXVI num suo loco tradantur, quae cum ad principia pertineant post c. XI inserere malim.

Codicis ergo ordinem deserere ausus sum in solis capitibus XXVII XXVIII, quod scriptoris uerba facere me iusserunt, cetera intacta reliqui. Plane aliter grassatus est Martianus Rota, qui non modo illa quae nos capita traiecit, sed omnia sursum deorsum uertit. Martianum deinceps ut assolent secutae sunt uersiones V VI, editiones VII [1] VIII. Quare ut intellegatur, qui sit codicis [et I II III] ordo, qualem IV—VIII mutauerint, qualem ipse denique mihi fingam, triginta priorum capitum hanc confeci tabellam.

1 Charteriana editio addidit capitum aliquam enumerationem, quae prorsus ad libidinem ficta est. Expressit eam etiam Kuehnius.

Ordo

paginarum Kuehnii	capitum codicis et I II III		editionis meae	Martiani, IV—VIII	genuinus, qualem mihi finxi.
222.	I	sine titulo. [φιλοσοφίας	I 1. 2. 3. 4.	I (κ. α'-γ')	I. 1. 2. 3.
231.	II	περὶ τοῦ λογικοῦ μέρους τῆς	II 1. 2. 3.	II	III. I. 4.
233.	III	περὶ αἱρέσεων	III	III	IV
234.	IV	τίς ἀρχὴ φιλοσοφίας	IV	IV	II. 2. 3.
235.	V	περὶ σημείου	V	V (κ. δ')	VIII
236.	VI	περὶ συλλογισμοῦ	VI	VI	IX
ibid.	VII	περὶ ὅρου	VII	VII	V
237.	VIII	περὶ κριτηρίου	VIII	X	XXVIII
238.	IX	περὶ ἀληθοῦς	IX	VIII	VI
237.	X	περὶ διαιρέσεως	X	IX	VII
246.	XI	περὶ φύσεως [καὶ ἀρχῆς	XXVIII	XXVIII	X
245.	XII	περὶ διαφορᾶς ϛοιχείων	XXVII	XXVII (κ. ε'-ϛ')	XXVII 1. 2. 3.
246.	XIII	περὶ κινήσεως	XI	XII	XXVI [?]
247.	XIV	περὶ σωμάτων	XII	XI	XXV
254.	XV	περὶ ψυχῆς	XIII	XIII	XXIX
248.	XVI	περὶ ἰδέας	XIV	XIV	XXIII
257.	XVII	περὶ ἐλαχίστων	XV	XIX	XXIV
ibid.	XVIII	περὶ χρωμάτων	XVI	XVI	XI
248.	XIX	περὶ σχημάτων	XVII	XXIII (κ. ζ')	XII
258.	XX	περὶ μίξεως	XVIII	XXIV	XIII
ibid.	XXI	περὶ κενοῦ	XIX	XXVI (κ. η')	XIV
259.	XXII	περὶ χώρας	XX	XXV	XV
249.	XXIII	⟨περὶ κόσμου⟩	XXI	XXIX	XVI
250.	XXIV	πῶς συνέστηκεν ὁ κόσμος	XXII	XV (κ. ϑ')	XVII
252.	XXV	πόθεν ἔχομεν ἔννοιαν θεῶν	XXIII	XVII (κ. ι')	XVIII
250.	XXVI	περὶ θεοῦ	XXIV	XVIII	XIX
240.	XXVII	περὶ τοῦ φυσικοῦ	XXV	XX	XX
238.	XXVIII	περὶ ἀποδεικτικῆς	XXVI	XXI	XXI
253.	XXIX	περὶ δαιμόνων καὶ ἡρώων	XXIX	XXII	XXII
259.	XXX	περὶ χρόνου	XXX	XXX	XXX

Absoluta hac exteriore de Galeni libro quaestione ad nouissimam quam nobis proposuimus disquisitionem transeamus. Etenim quoniam paene omnem libelli thesaurum unde adfluxerit satis clare demonstrauimus, de opusculi consilio atque scriptore quam tandem nobis conformabimus imaginem? Ipse, opinor, consilium suum prodidit cum [p. 1, 24] libellum in studiosae iuuentutis usum se conscripsisse profitetur, *ἵνα οἱ φιλομαθεῖς τούτοις προεντυγχάνοντες μὴ δέοιντο τῶν ἐξηγουμένων, ἀλλὰ δι' ἑαυτῶν γιγνώσκοιεν τὰ καθ' ἕκαστα τῶν εἰρημένων* [*σαφέστερον*]. Logices idem compendium fecerat [p. 9, 19] quod eisdem, suspicor, adulescentulis tradiderat, quos deinde nostro ad physica magis pertinente compendio instituere pergebat. Quod negotium quam humili scholasticaque arte persecutus sit, ex libello ipso abunde cognosci potest.

Insignis deinde egregii homunculi contra alios philosophos liuor adparet p. 28, 15, cum *ἀσφαλέστερον*, inquit, *πειρώμεθα περὶ τούτου εἰπεῖν τὰ σοφιστικὰ καὶ πάνυ κεκοσμημένα τῶν διαλεκτικῶν παρεληλυθότες. οὐ γὰρ ἐπιδείξεως ἕνεκα προὐστησάμεθα τὴν περὶ τούτων σπουδήν, ἀλλὰ χρηστοήθη* [l. *χρηστὰ τὰ ἤθη*] *ποιῆσαι βουληθέντες τοῖς ἐκ φιλοσοφίας λαβεῖν τι χρήσιμον προεγνωκόσιν, νομίσαντες φιλοσοφεῖν οὐ μόνον τοὺς τὰ τριβώνια περιημμένους, ἀλλὰ καὶ τοὺς πρόοδον μὲν τοῖς πολλοῖς ὁμοίαν ἐνστησαμένους, τὴν δὲ διάνοιαν φιλοσοφωτέραν ἔχειν σπουδάσαντας.* Stoicorum eum disciplinae fauisse inde aliquis adparere dicat, quod [p. 33, 22] tripartitam illorum philosophiae diuisionem amplexus *ἀκριβεστάτους εἶναι δοκοῦντας* eos pronuntiet. Sed caueamus ne in scholastico homine illud nimis premamus. Nam quantum a philosophando ipse abhorreat, ex sententiis, quas ipse expressisse uidetur, cognosci licet, uelut ex eo quod ineptissime de syllogismo c. VI disserit [v. Prantl hist. log. or. I p. 609, 64. 67].

Nihilominus istic libellus si non rebus, tamen compendiaria forma commendatus esse scholarumque in usu uiguisse

uidetur plane ut nostra quoque aetate uariarum disciplinarum non optima quaeque sed breuissime scripta a studiosis adulescentulis maximi aestimari emi propagari solent. Et nostra scriptio cum Aesculapii inprimis filiis placuisse uideatur, quibus breuis de philosophia institutio commendari solebat [cf. Galen. XIX p. 59], factum esse existimo, ut inter innumerabiles paene Galeni libros abscondita traderetur — codex Laurentianus enim solius Galeni opera continet — titulumque inde simul traheret. Quae memoriae tradendae ratio similibus quoque eis libris accidisse uidetur, qui eiusdem medici ementiti nomen *Γαληνοῦ εἰσαγωγὴ διαλεκτική* [ed. Minas Paris 1844] et *Γαληνοῦ ὅροι ἰατρικοί* [ed. Kuehn. XIX 346–462] inscribuntur. Ex scholastica autem tradendi consuetudine satis explicatur lacera turbata interpolata mendosa libelli condicio, quandoquidem quam neglegenter huiuscemodi commentarioli propagari soliti sint constat.

Superest difficilis uixque enodanda quaestio, quae in compilatoris aetate constituenda uersatur. Ab altera enim parte cum propter Sexti aetatem certum sit post alterum p. Chr. saeculum confectum esse libellum, alter tamen latius uagatur terminus. Sed cum neque oratio, quantum pro parua mea cognitione infelicique memoriae condicione dispicere queo, infimam prodat antiquarum litterarum aetatem, Neoplatonicorum deinde Christianorumque philosophiae extent indicia fere nulla, sed conspicua sit sophistarum philosophorumque superborum inrisio, qua Lucianeae paene aetatis commonefias, non ultra quartum quintumue p. Chr. saeculum descenderim.

SUPPLEMENTUM.

Versionem latinam Coloniae 1543 ab Andr. Lacuna editam mihi comparare diu non contigit, donec tandem beneuolo Staenderi nostri studio Monacense mihi adlatum est exemplum, quo perlecto quid de Lacunae uersione statuendum sit hic subiciam. Inscribitur libellus forma octaua 54 foliis impressus 'Galeni Pergameni summi medicinae parentis, de philosophica historia liber unus, imò singularis thesaurus, non minus Poetis & Oratoribus, quàm Medicis et Philosophis utilis & necessarius, olim satis infeliciter uersus: Nunc uero ad fidem uetustissimorum codicum restitutus, atque in usum studiosorum ex Graeco Latinus factus. Andrea à Lacuna, Secobiensi, Philiatro Interprete. Coloniae Iohannes Aquensis excudebat, Anno M. D. XLIII.' Dedicatus est libellus 'D. Primicerio, D. Decano, nec non aliis praelatis omnibus Canonicisque Inclytae et Metropolitanae ecclesiae Metensis.' Ex prolixa epistula dedicatoria insignem de illius opere exhibebo locum f. 6. 'Porrò, quod ad ipsum librum spectat, fateor eum (ne quis sit locus calumniae) iam pridem superiori illo ac maximè inculto seculo, in Latinam linguam conuersum fuisse, caeterùm infaelicissimè. Nam praeter ipsam barbariem, qua omni ex parte uestitus erat, etiam omnes ferè sententiae Latiae [sic], à Graecis dissidebant omnino [1]. Postea autem Martianus Rota, uir in Latinis et Graecis literis citra controuersiam doctissimus, admolitus manus negotio, sequutus est tralationem ueterem, eamque longè elegantiorem reddidit, adiutus interim Graecis codicibus, excusis quidem illis, sed mendacissimè. Quare coactus interdum fuit diuinare: interdum, obtruncata exemplaria, ex suis hortulis (quanquam philosophica et optima) plurima haud

1 de hac XV saeculi uersione notitiam nullam accepi.

dubie interserere, quae nusquam apud Galenum extant: id quod minimè fidum decet interpretem. Mihi uero, praeter Basileense atque Aldinum exemplar, quae (ut constat) sunt mille mendis contaminàta, etiam obtigit tertium manu conscriptum, idemque iam uetustate consumptum: cuius mihi (etsi non facile) copiam fecit, dum Caesar anno 1539 esset Gandaui [1], Hadrianus à Corone uir ille natione Graecus, eruditissimus. Quod exemplar sedulo moliebatur suadere, propria Galeni manu exaratum fuisse. Nactus igitur tandem, uix multis precibus, in dies aliquot, id multò emaculatius exemplar, opus ipsum quam fidelissime fieri potuit, conuerti, adhibitis etiam in studium aliis codicibus, quae excusa, inter studiosorum manus uersantur.' Haec igitur, quae de uetustissimo codice loquitur, si uera essent, Lacunae uersio maximi nobis esset aestimanda atque ut alterius praeter Laurentianum fontis exemplar semper respicienda. Sed uereor, ne omnia haec nugae sint, cascumque illud Galeni exemplar Laurentiani non dissimile uel potius apographum fuerit: tantum enim comparatione instituta euincitur, nullum fere locum a Lacuna correctum, sed Rotae hic illic adsumptis emendationibus editionis Basileensis uerba atque ordinem expressa esse.

1 Lacuna enim medicus Carolum V comitabatur.

De editis a me Galeni paucis plagulis haec monenda sunt. Primum enim eorum capitum quae e Plutarcho inde a c. XVI descripta sunt, cum plena nunc exhibere nihil attineret, solos titulos adpositis Plutarchi locis recensui. Nam integrum equidem contextum nil utilitatis adferre arbitror nisi Plutarchi Stobaeique uerbis iuxta positis, qualem postea editionem parare in animo est. Distinxi autem quae capita Plutarcho auctiora esse uidi [cf. p. 13 sqq.] adposito asterisco.

Edita deinde capita I—XV, XXVII, XXVIII ad codicis Laurentiani fidem expressi, cuius discrepantia in inferiore adnotatione subiecta est, ubi adcurate etiam quis codicis lectionem emendarit adnotaui, ita ut ubicumque huiusmodi nota deest, me emendatorem esse significem.

Notarum denique quibus usus sum hanc uolui esse interpretationem: erit

I = ed. princeps.
II = ed. Veneta 1525.
III = ed. Basileensis 1538.
IV = Martiani uersiones.
VII = ed. Charterii 1679, cui ea quoque attribui, quorum proprius est auctor Martianus.
B = emendationes, quae Bonnensis bibliothecae exemplo Kuehniano adscriptae sunt.
U = emendationes, quas beneuole olim Usenerus mecum communicauit.

ΓΑΛΗΝΟΥ ΦΙΛΟΣΟΦΟΣ ΙΣΤΟΡΙΑ.

CAPITA I-XV XXVII XXVIII.

I.

p. 222 ed. Kuehn.

1. *Τῶν ἐξ ἀρχῆς φιλοσοφησάντων φυσιολογεῖν μόνον προελομένων καὶ τοῦτο τέλος τῆς κατ' αὐτοὺς φιλοσοφίας πεποιημένων ἐπιγεγονὼς πολλοῖς ὕστερον χρόνοις Σωκράτης τοῦτο μὲν ἀνέφικτόν φησιν ἀνθρώποις ὑπάρχειν (τῶν γὰρ ἀδήλων κατάληψιν βεβαίαν [εἶναι] λαβεῖν τῶν χαλεπωτάτων || ἐνόμισε), τὸ δὲ ζητεῖν ὅπως ἄμεινον ⟨ἂν⟩ διάγοι τις καὶ* 223 *τῶν μὲν κακῶν ἀποτραπείη, τῶν δὲ καλῶν ὡς πλείστων μετάσχοι, τοῦτο μᾶλλον συνοίσειν. [καὶ τοῦτο νομίσας χρησιμώτερον τῆς μὲν φυσιολογίας ἠμέληκεν ὡς οὐ πάνυ τι πρὸς τὸν χρηστὸν βίον συμβαλλομένης, ἠθικὴν δέ τινα διάθεσιν ἐπινενοηκὼς διαγνωστικὴν ἀγαθῶν τε καὶ κακῶν, αἰσχρῶν τε καὶ καλῶν, δικαίων τε καὶ τῶν ἐναντίων, τοῖς προνοουμένοις ταύτην πάντων ἀπηλλάχθαι τῶν ἀλυσιτελῶν ἡγεῖτο ῥᾴδιον.] διὸ προσεπάγει τῇ φιλοσοφίᾳ τὸ ἠθικὸν καθ' ὃ συνέστησε τὴν προαίρεσιν τῶν κάλλιστα ζῆν πεισθησομένων. κατιδὼν δὲ ὅτι δεήσει τὸν τούτων προστησόμενον*

5 *κατ' αὐτῶν*: corr. I   7 *τοῦτο*] *οὗτος*: uolg. *οὗτος τὸ μὲν* 5 *εἶναι* ante *λαβεῖν* est glossema quod deleui, post *χαλεπωτάτων* traiecit VII   9 ⟨*ἂν*⟩ addidi, *ἀποτραπων*: uolgo *ἀποτραπῇ*   11 *μεταςχῇ*: *συνοίσει*: c. III *καὶ τοῦτο — ῥᾴδιον*, quod concinnitatem tollit (*καὶ τοῦτο νομίσας*) eandemque sententiam, quae insequitur occupat (*ἠθικὴν δὲ κτλ.* = l. 13 *διὸ προσεπάγει — τὸ ἠθικὸν*) interpolatori tribuo cfr. proleg. p. 18   13 *χρήσιμον βίον*: c. U.   *συμβαλομένης*: c. I   15 *δικαίων* compendiose cod., quod uolgo legitur *τιμίων*. 16 *ταύτην* compendiose: uolgo *ταῦτα*   17 *ῥᾳδίως*: c. U. *προσεπάγει* mirum est, si confertur cum simplici *ἐπιννεόηκεν* p. 28,3 fort. *διόπερ ἐπάγει* U.   18 *πεισθησομένων* sensum non habet idoneum. Exspectatur simpliciter *τοῦ κάλλιστα ζῆν*.   19 *τὸν*] *τῶν* I   *προστη-*

εὐπειθείας μετέχειν, τοῦτο δ' ἂν ὑπάρξειεν, εἰ λόγοις διαλεκτικοῖς φαίνοιτο πρὸς τοὺς προσιόντας καλῶς κεχρημένοι, καὶ τὴν διαλεκτικὴν δύναμιν ἐπινενόηκεν, δι' ἧς πεισθέντες ταχέως ἀπαλλαξόμεθα τῶν βλαβερῶν, ἐπελευσόμεθα δὲ ἐπὶ τὰ πάντως ὠφελεῖν πεφυκότα. ὥστε διὰ τὸν Σωκράτην γενέσθαι τριμερῆ τὴν φιλοσοφίαν πρότερον ἐπὶ τοῖς φυσι-
224 κοῖς || μόνοις ὁρίζεσθαι δοκοῦσαν.

